

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1569.

PARS TERTIA.

291

in Christo Jesu, vir reverende, Domine & frater observande & mihi ex animo dilecte. Scripsi Basil. 6. Septembr. an. 69.

Ignosce lituris, quia ob occupationes non licuit describere.

T. D. totus

S. Sulcerus.

CLXIV.

**S** Insignem charitatem pietatemque erga se tuam, vir ornatissime, prædicat Fueglinus noster & spero, professionem ad vos suam atque Wirtenbergicos fructuosam fore etiam vestræ ecclesiæ. Habemus gratiam omnes nos R. T. D. & cupimus vicissim nostram erga te tuosque voluntatem declarare, si detur occasio. Sed quemadmodum Rhenus hinc ad vos labitur, non relabatur, sic cum multi ex nostris vobis subinde offerantur, nulli aut certè paucissimi isthinc ad nos ex pientissimo collegio vestro concedunt, quorum conversatione resceremur. Nunc etiam clariss. vir, D. Theodorus Zvingerus, cum privigno patricio juvene venit, quem de nomine notum esse isthic nihil dubito, vel propter egregium opus, quod præstitit in Theatro vitæ humanæ continuando. Nobis conjunctissimus est, piè de religione sentit, summæque virtutes in hoc viro certant. Oporini piæ memoriæ ex sorore nepos est, Conradi Lycosthenis privignus, primi apud nos Tribuni gener, fortuna ampla, gratia apud omnes, idque merito suo singulari. Medici ordinis nunc Decanum agit dignissimum & linguæ Græcæ professorem, quod te, vir clarissime, scire volui, ut intelligeres, tutissimè cum illo, nec sine fructu de religione cum ipso te familiariter colloqui posse, quo augeatur & confirmetur arctissimum inter nos Christianæ unitatis vinculum. Si filius tuus ad nos venerit, dabimus operam, ne desint illi nostra officia. Minutionem sanguinis, de qua scripseram, si experiri T. D. libeat, non conveniet malè dies Sabathi proxima, hoc est, octava hujus mensis, quæ ut salutaris sit, præcabor enixè Dominum. Bene vale, Domine & Frater Reverende & charissime, una cum collegis, totaque familia. Salutat T. D. Coccius. Scripsi Basileæ, Calend. Octobris, Anno 1569.

R. T. d. totus

Sulcerus, D.

CLXV.